

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XIV. Qualiter abbatissa eligatur.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

De Mechtil-
de nuper
amissa
amentatio.

dat gratiam. Vere nimis honorificandi sunt amici tui, Deus, nimis studiose perquirendi, nimis amandi et reverendi; qui et iram tuam nobis toties mitigant, insuper multis bonis nos cumulant. *Quis dabit capiti nostro aquas, et oculis nostris fontem lacrymarum* (JER. ix. 1.) ut digne defleamus, cum talem interventricem amiserimus, cuius amore toties nobis peperit omnipotens Deus; cuius orationis fructum toties efficaciter in nobis experti sumus? Ipsa etiam flagrans igne divini amoris, velut carbo igneus alios accendebat, et exemplo suo ad amandum Deum plurimos incitabat. Heu! ubi talem reperiemus, cum ipsa introierit potentias Domini, cum introducta fuerit in thalamum Regis summi, pausatura sub umbra Dilecti sui?

CAPUT XIV.

QUALITER ABBATISSA ELIGATUR.

FACTUM est cum senuisset Abbatissa cœnobii¹, homo vere secundum cor Dei, pia hæc et fidelis virgo orabat Deum quatenus aliam sibi placitam monasterio provideret. Et ait Dominus: « Illa die cum Abbatissam vultis eligere, facite cantare Missam de Spiritu Sancto, et tota Congregatio in oratione sit, nulla excepta, orentque Deum ut ipse, qui omnia novit antequam fiant, illam eis inspiret eligendam, quam ipse ad hoc ordinaverit ab æterno. Una autem sapiens et

1. De abbatissa Sophia juniore hic agitur, filia Burchardi II. de Mansfeld, quæ propter gravem infirmitatem et senium officio se abdicare voluit, et circa annum 1303 decessit.

timens Deum persona ad hoc ponatur, cui post orationem factam singulæ dicant quam elegerint, quas ipsa præscribat diligenter. Sorores invicem non affirment quam velint, nec pro singulari amicitia non valentem eligant, sed secundum Dei placitum in quantum agnoscere possunt, eligant. Post hæc, septem personæ Deum timentes et sapientes ad hoc constituantur, ut de omnibus electis unam eligant, totusque Conventus sit interim devote orans, quatenus in unam, secundum Dei beneplacitum concordent. Quod si septem illæ non possunt in unam concordare, referatur ad Præpositum, qui tunc loco et vice Dei præsideat ; et quamcumque ille tunc eis præfecerit, ac si a D^eo data sit, suscipiatur et confirmetur. Simili modo maiores officiales, scilicet Præpositorus et Priorissa eligi possunt. »

CAPUT XV.

QUALITER HOMO DESPONSACTIONEM RENOVET.

DUM vice quadam Deo in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitaret, quam negligenter vixisset, et quam multa bona a Deo gratis accepta, etiam quod Deo in sponsam consecrata, prærogativam illam peccatis suis maculaverit, dixit ad eam Dominus : « Si tibi daretur optio, quid magis eligeres, an ut omnia quæ tibi contuli bona, operibus et virtutibus per temetipsam obtainueris, an ut tibi gratis omnia contulerim ? » Quæ respondit : « Etiam, mi Domine, minimum donum a te mihi concessum plus accepto, quam si omnium merita Sanctorum, etiam maximis virtutibus et laboribus, promereri possem. » Cui

Donum
Dei omni
merito
anteferen-
dum.